Ad Illustrissimos Comites
Wiecopolscios de duobus
Censoribus libelli de emen
dandis eloquentiae vitiis

Anonym.

Literæ Amici ad Authorem libelli, cui tit: De emendandis vitiis Eloquentiæ.

Adm: Rnde in CHRISTO Pater.

COntigit verſare libellum tuum de emendandis vitiis Eloquentiæ mi Naviane quem quò avidiùs percurri, eò dolentiùs tuli quod hunc legerim. Doceri volui, & didici quæ neſcire laudabilius eſſet. Quæris indignationis cauſam? optime eam vides, ſi ab oculis livorem deterſeris, Totus fere libellus ſcommatibus ſcatet: atq; cum vitia eloquentiæ emendare ſatagis, contra CHRISTI legem, vitioſiſſimè impegiſti, non ſine gravi arrogantiæ nota. Prodiit Sereniſſimi Regis Ducalis Pruſſiæ Fidei Profeſſio, in qua teſtatur ſe non Calviniſtam, non Lutherum eſſe, ſed Reformatorem erroris Orbis Fidei: tu pariter, mi Naviane per tuum Libellum Reformatorem te ſtatuis Orbis Rhetorici: vide quis iſte ſit tuus faſtus. Diviſiſti facultatem Oratoriã in ſæculum aureum, argenteum &c: Tandem in Luteum præſens: Luteus ergo Cenſor es, hoc ſæculo enim natus; quomodo de aurea, argenteaq; ſvada judicium aureum dare præſumis? forte ut eos macules, quos tui diſſimiles non dico odiſti, ſed non amas.

QUod Scholæ noſtris famoſiores, inficiant Rempublicam diverſitate ſtyli, & quadam tortura capitis acutioribus ſeu ſcriptis ſeu dictis, tam audientes quàm legentes excrucient, conquereris. Mirum eſt quod hanc primus adverteris, an ſenſeris crudelitatem, cum viri noſtri ante

ante Te verſatiores in hac facultate ſtudioſiores fuerint in elegantia ſtyli conquirenda, & multa acute, multa profunde dixerint, ſcripſerint non conquerente Republica? Iſtud ne eſt mi Naviane inficere Rempublicam ſtylo, non obviis ſenſib9 dictionem concinnare? tropis inornare obvia? & rudes ſenſus, ita excolere, ut omnis ruditas, tali induta elevatione dictionis, videatur tanquā aliquod dictum in expectatum, novum? Damna etiam inaurata ſimulacra, quorum ſcabroſitatem in ſtipite pictor auro induit: oculos delectat, quos non recrearet nudus ſtipes, delectant & ſimplices ſenſus exculti, Auditorem. Accumbis menſæ? non ne lances ille magis guſtum provocant, quæ nobiliùs conditæ, & ingenio Culinæ Magiſtri elegantiùs coctæ? Omnisne cibus menſas occupat ejuſdem qualitatis? nauſeares ſi omnes lances, rapas ferrent. Diſcurre ſimiliter de ſtylo qui paſcit Intellectum. Delectat varietas. Nonne noſti mi Naviane, quod veſtis Patris, ſeptenni aut decenni Filio non conveniat? nec arma Saulis Davidi? ita nec ſtylus diverſus omnem ætatem decet: aliter Senator in Senatu dicit in genere deliberativo, aliter in demonſtrativo, in Judiciali aliter, aliter in Scholis, aliter extra Scholas Juvenis. Sermo Senatori Scholaſticus non debetur, nec Juveni Senatoris, niſi cenſueris decorum eſſe ſi Juveni barba cana aſſuatur. Materia item diverſa diverſo genere ornandi vult explicari cum ipſa dicendi genera non eadem periodo volvantur. Ipſe Auditor non omnis eodem ſtylo debet doceri, moveri & delectari, & prudentis Oratoris eſt (ut præcepta

Rhe-

Rhetorica loquuntur) conformiter dicere ad Auditorem. Quis coram Rege discurret, Orator de Agricultura? Quis coram plebeiis, aut indocta nobilitate de Statu Regni, bellis, honoribus, fœderibus &c: Hinc adverte, diversitatem Styli debere haberi: hic acutum ingeniosum Laconium, hic gravem amplum, sensu Oratorio abundantem, ubiq; tamen bene latinum si hoc idiomate peroratur. Ipsa etiam sæcula non eodē tenore loqui amant, præsertim ubi acutiori svadæ assvetæ aures, pulchro, acuto, insperato sensu delectantur. Nec refert quod sensus reconditus non statim se intelligi sinit, non enim omnia ingenia sunt expedita ad sensum illico intelligendum, ut legere est tam in Cicerone, quàm Plinio Quintiliano, Seneca, & in Ennodio magis. Quid de Plinii sensu dicis in ejus epistola, hæc habente: Liberti non idem quod ego bibunt, sed ego idem quod mei Liberti. Hic sensus ut intelligatur non illico se aperit; damnare autem obscuritatis tantum Oratorem, & alios, ille potest, qui tui est genii. Ne excrescat in longum litera parco aliorum periodos adducere: si Commentarios in Ciceronem, Plinium alio'q; legis de eorum obscuritate subinde orta non dubites: non enim explicarentur, si clari sensus essent: non tamen Orationes eorum damnant.

MI Naviane, vis eloquentiam inducere anilem, & Familiarem, quali olim utebantur Romanæ mulieres: hoc non est Oratoris, alius illi ornatus debetur qui non à colo & fuso accipiatur, sed ex Rhetorum præceptis. Vis exulare omnes tropos, metaphoras,

 alle-

allegorias &c: quod his, ornatæ dictiones videantur obſcuræ, cum natura ferat ut quæ pretioſa ſunt, aut in profundo terræ, aut maris ſerventur. Apparet quòd non attentè legeris Emmanuelis Theſauri artem Oratoriam: aut certè placere volueris illis per tuos ſenſus quibus illa tantùm latinitas placet, qualem ipſi norunt. Eſto! ita tamen eorum animos parare debueras, ut non per aliorũ contemptũ & cenſuras quæſiviſſes placere. Sanctos Patres verſa, verſa Oratores alios, abundant tropis, non timentes tibi diſplicere per exercitium ſublimioris Styli.

PRoteſtaris mi Naviane quod eas eliminatum ſtylum tumidum, obſcurum, levem, puerilem &c: hoc ipſum plurimi monuerunt libri priuſquam tu ſyllabas noſces, ſed nec ullum advertiſti qui talibus vitiis orationes componi docuerit. Si autem contigit aliquando talis ſermo, non ideo in regulas ſcribendi venit: Ingeniis plerumq; ut arboribus contingit ſtolones gignere.

VIs autem noſſe cur ingenia Juvenum inſtruantur ad elevatiorem ſtylum, allegoricum &c: per alluſiones, per combinationes curandas quibus ſimplex ſenſus involvatur; fit ideo ut acuantur, aſveſcantq; in dicendo cultiori latinitati; Sciant diſtingvere familiarem ſtylum ab artificiali, nobiliori; ut enim ille qui jaculo punctum metæ vult tangere fiſtulam ſupra metam dirigit. Faciliùs ab alto ad ima deſcenditur, exculta ingenia ſtylo, quem ſublimiorem dico, creſcente ætate, & matureſcente judicio, in illum dicendi modum deſcendunt,

qui

qui illis convenientior videbitur. Excoluntur & ideo ne ſterileſcant, niſi enim profundiùs cogitare doceantur, & ad ſolam familiarem periodum aſſveſçant, deerit ingenio occupatio, & contemptus oratoriæ ſacultatis, cùm ſibi facilè perſvadeant, ſolam grammaticam conſtructionem ſibi ſufficere ad ſermonem familiarem. Inſtruuntur & ideo, ut intelligant illas orationes, illa carmina quæ non ex obviis ſenſibus componuntur. Et ut ſciant pro diverſitate circumſtantiarum dicere, nunc hôc, nunc illo ſtylo. Nolo explicare cauſas alias brevitati literæ ſtudendo.

CRibras mi Naviane tam veterum auctorum opera, quàm recentiorum, utrum competenter! adverte. Oſtrogothicum ſtylum vexas in dictione *paludeſtræ* & errorem typi appingis auctori: peccavit alter, ut prudenter cenſetur per additionem aliquot literarum, & alter punitur. Quid & illa phraſis habet vitii, ſeu in latinitate ſeu in ſenſu, *erga Rempublicam amore devinci* quod idem eſt ac obſtringi: Numquid ad omnem ſenſum exprimendum veteres Oratores phraſes porrexerant poſteritati! & ingenia ita obligârunt, ut non liceret eis, aliô & alio modo variare ſenſus! Vide Verepei doctrinas de varianda oratione per Figuras, tropos, utiq; non huius ſæculi lutei ut vocas auctor eſt.

FUlmen Orientis tibi mi Naviane urit oculos, ventilas illius ſcintillas: O! Te Judicem temerarium; ut aliquid ſcripſiſſe videreris, ſcripſiſti ineptas cenſuras. Hyperbolas damnas, quaſi neſcires, quòd hæ ſint emetiens ſuperiectio,

ctio, innixa tropo alteri, in quo ex uno plures, ex pluribus unus intelligitur: Et cum dicit Plinius, *vicisti gentes innumerabiles multitudine*, non peccatur, neq; falsi arguitur à Prudentib9 Orator. Cùm autem dicitur: *Omnium exempla temporum, memoriam literarum superasti.* per Te crimen est Oratorium, utrobiq; tamen hyperbola est; qua usi sunt Oratores, ad exprimendam rei dignitatem, excellentiam &c: quod passim in illis legitur. Magnitudinem autem victoriae Joannis exprimit auctor, quam si nosse velis lege literas Christinae Reginae datas ad Serenissimum Joannem III. in Załuscii historia jacentes, quantum illa felicem conflictũ laudat, quem mi Naviane magnus rerum arbiter extenuas. Nolo, quia nauseo exagitare alias tuas censuras dictante passione impressas.

TUam etiam orationem vexas, & est astutia ! ne aliis puteris molestior & excuses facilius tuam temeritatem, te ipsum videris ferire: cum sciamus, minus doloris sentiri cùm à manu propria excitatur. Si te ipsum tantùm vexasses; parcendo melioribus, quantùm illud Religiosae tuae victoriae dedisses argumentum ! quanta verò nunc in te humilitas, erroris proprii confessio. In illa oratione satis ingeniosè & laudabiliter laborâsti: excessisti tamen in nimia enumeratione Insignium Praesulis, illaq; coágmentata : quae tamen non offecisset, si saltem non nullis, uberiorem adjecisses amplificationem. Unde excessus meretur corripi, laudari allusiones. Non perstringo caetera.

Doceri

DOceri tamen vellem quid intendas per commemoratum Craſſi factum, qui corrumpentes Latinum idioma Româ pelli curabat; intendis aliorum exilium? hoc eſt hæreticorum genii, qui eos, quos tu inſequeris mi Naviane pati non poſſunt, nec volunt, utpote ſanæ Doctrinæ aſſertores. O mille ſannis dignam temeritatem tuam! unde tibi tantùm faſtûs? tam inconſultæ mentis? at digna hæc cogitatio tuo cerebello, unde opellam tuam evolvens prudens vir, advertet quo fonte profluxerit tam lutoſa lucubratio &c: Quos Conſul ille pelli voluit, fuerunt, qui familiarem ſermonem latinum corrumpebant, ne in hunc degeneraret, quem nunc audimus in Italia. Certè elocutionem oratoriam, quam ipſe orator amabat exulem eſſe noluit, nec ab omni deinde cultura, ſequentibus temporibus excluſit, quam tu craſſior Craſsô ſvades, & inſtas eliminandam.

AD extremum adverte in artefactis, culturam, longe aliam hoc ſæculo, quàm primis fuerit, vide Pictoriam artem, vide Statuariam, vide Architectonica &c: ſi cribras ſæculi præſentis eloquentiam, eamq; vis primis ſæculis reddere, Satage & Architectonicam reducere ad primas illas lineas, & habebis in præmium, non ab uno Architecto cubitale Minerval. Nemo eſt qui reducere tentat ad primam qua natæ ſunt artes, normam: regulas antiquorum in multis ars præſens ſequitur, multas ex obſervatione adjecit, & laudantur, & curantur à plurimis Architecti. Si illis excolere artes ſuas licuit, cur non oratoribus ingenia & ſtylum?

lum? Desiisses cerebellum tuum fatigare, nec ad scommata illo abuti, & in Religiosa modestia, charitate Christiana, te contineres non incidisses in illud scripturæ si tacuerit sapiens reputabitur. Non te stylus eorum pungit, quos insequeris, sed aliæ circumstantiæ, bilem tibi concitant, quas ut tu quoq; & tibi & tuo ordini lucreris, æmulare charismata meliora. Si Te genius ad Reformationem inclinat? quàm sanctè ageres, si in reformationem ordinis tui incumberes, præsertim cum in Assistentis Officio sis positus. Redde primævam Regulam Religioni, qui tam operosè pro stylo primævo disputas. Violentum agendi modum elimina, Spiritum congruū Religioni provide, ut hôc regatur non passionibus &c: Utiliùs profecto hæc reformationis cura succederet, & Sanctiùs; cum laude Assistentis Religionis exemplari commendatione, quàm hæc, cui incubuisti scommaticæ opellæ.

Hæc age, & Vale.

Tuus in CHRISTO Frater & servus.

Josephus à S. Georgio S. P. mpp.